



**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri  
Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

XXXVI. De infirmis Fratribus. Fratribus ægrotis faveantur congrua votis,  
Cum famulo gnaro balnea, vina, caro.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

- l) Subintellige ex seqq. Et ab omnibus ter-  
tiò repetita.  
m) Sive incipiat ministerium hebdomadale.
- 

15. MART. 15. JUL. 14. NOVEMB.

## C A P U T   X X X V I .

### *De infirmis Fratribus.*

**I**nfirmorum cura ante omnia & super  
omnia adhibenda est, ut, sicut reve-  
ra Christo, ità eis serviatur: quia ipse  
dicturus est a: Infirmus fui, & visitâstū  
me. Et: Quod fecistis uni de his mini-  
mis meis, mihi fecistis. Sed & ipsi in-  
firmi considerent, in honorem Dei sibi  
serviri, & non superfluitate suâ b contri-  
stant Fratres suos servientes sibi. Qui  
tamen patienter portandi sunt, quia de  
talibus copiosior merces acquiritur c.  
Ergo cura maxima sit Abbatii, nè ali-  
quam negligentiam d patientur. Qui  
bus Fratribus infirmis sit cella super se e  
deputata, & servitor timens Deum f, &  
diligens ac solitus. Balnearum g usus  
infirmis, quoties expedit, offeratur; sanis  
autem

autem & maximè juvenibus tardius *b*  
concedatur. Sed & carnium *i* esus in-  
firmis omninoque debilibus *l* pro repa-  
ratione *m* concedatur. At ubi *n* melio-  
rati fuerint *o*, à carnibus more solito o-  
mnes abstineant. Cura autem maxima  
sit Abbatii, nè à Cellerariis *p* aut servito-  
ribus negligantur infirmi ; quia ad ipsum  
respicit *q*, quidquid *r* à discipulis de-  
linquitur.

- a) In die scil. judicii, ex Matth. 25. Le-  
gitur sanè Christus ipse sub specie leprosi  
à Martyrio Monacho humeris gestatus,  
itemque à Leone IX. in lecto collocatus.
- b) Puta, appetendo superflua in cibo, in po-  
tu, in servitio *Tc.*
- c) Apud Dominum Deum ; per majorem scil.  
charitatem, humilitatem, mortificationem,  
patientiam, mansuetudinem *Tc.*
- d) Seu defectum in necessariâ medicinâ, visi-  
tatione, consolatione, cibo, potu, vel servitio,  
necnon administratione Sacramentorum *Tc.*
- e) Alii planius legunt, per se deputata, id  
est, seorsim vel separatim construeta : quam  
Cellam nunc vulgo infirmariam vocant.
- f) Sub

- f) *Sub timore enim Dei comprehenduntur cæteræ virtutes necessariæ in lit. c. emeratæ.*
- g) *Intellige, domesticarum, sive in ipso Monasterio habitarum; nam vagari foras omnino non expedit animabus eorum ex cap. 66.*
- h) *Id est, rarius, imò nunquam, propter intercurrentes sensualitates ac pericula. Videtur autem S. P. hīc condescendisse consuetudini sui temporis.*
- i) *Non bipedum tantum, ut volunt S. Fr. Etuosus, Cæfareus Arelatensis & quidam alii; Sed etiam quadrupedum, juxta communem. De quo plura cap. 39.*
- l) *Unam ex his personam facit Smaragdus, quasi diceretur, per longam vel gravem ægritudinem ad debilitatem perductus. Econtra Turrecrem. & alii communius id ipsum concedunt duplici hominum generi, infirmorum scil. itémque omnino debilium, inter quos juxta Ostiensem, Boërium & alios etiam comprehenduntur pueri ac senes.*
- m) *Puta, sanitatis in infirmis, & virium necessariarum in omnino debilibus.*
- n) *Eleganter pro Si, vel Postquam.*

o) *Juxta*

- o) *Fuxta prudens judicium Superioris, ac  
Medici.*
- p) *Id est, Cellerario ejusque adjutoribus  
juxta c. 31.*
- q) *Hoc est, ipsi imputatur.*
- r) *Intellige, ex ipsius negligentia vel con-  
niventia.*
- 

16. MART. 16. JUL. 15. NOVEMB.

## C A P U T    XXXVII.

### *De Senibus vel a infantibus.*

**L**icet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his ætatibus, senum *b* videlicet & infantum *c*; tamen & *d* Regulæ authoritas eis prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, & nullatenus eis districtio *e* Regulæ tenetur in alimentis *f*; sed sit in eis *g* pia *h* consideratio, & præveniant *i* horas canonicas *l*.

- a) *Sumitur copulativè pro et.*
- b) *Non tam ætate annorum V.G. 50. aut  
60. quam imbecillitate, juxta considera-  
tionem*